

De curatione morborum Hypocratica, natura monstrante viam dissertatio inauguralis medica / [Heinrich Johann Nepomuk Crantz].

Contributors

Crantz, Heinrich Johann Nepomuk von, 1722-1799

Publication/Creation

Vienna : G. Kurtzböck, [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ef5bhvpa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

CURATIONE MORBORUM
HYPOCRATICA,
NATURA MONSTRANTE VIAM.
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

DECRETO, AUTHORITY, CONSENSU

Perillustrium, Magnificorum, Spectabilium, Clarissimo-
rum & Excellentissimorum Virorum Reverendissimi,
Perillustris, ac Magnifici Domini Universitatis

RECTORIS,

Illustrissimi, Magnifici, ac Clarissimi Domini Domini
Inclytæ Facultatis Medicæ

PRÆSIDIS,

Perillustris, Spectabilis, ac Excellentissimi Inclytæ
Facultatis Medicæ Domini

DECANI,

Venerabilis Domini Senioris, D. D. S. C. M. Consiliario-
rum, Archiatrorum & Clarissimorum, D. D. Professorum
adeoque totius amplissimi D. D. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI;

Pro consequenda suprema Doctoratûs Laurea publicæ Disputationi committit.

AUTHOR & DEFENDENS,

HENRICUS NEPOMUCENUS CRANTZ,

Belga Luxemburgus, AA. LL. & Philosophiæ Magister, &
Saluberrimæ Medicinæ pro Suprema Laurea Candidatus.

Disputabitur M. DCC. L. Mense Die

DE

CURATIONE MORBORUM

HYPOCRATICA

NATURA MONSTRANTE VIAM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICAE

QUAM

DECRETO AUCTORITATE COMSENSU

*Scientiarum sicuti Rerum humanarum pene
omnium, praecipua in incunabulis ponenda
custodia est.*

Barclai.

PRÆSIDIS,

Perillustri, Spectabilis, ac Excellentissimi Insuper
Facultatis Medicæ Domini

DECANI,

Venerabilis Domini Senioris, D.D.S.C.M. Consilii
tuo, Archicamerarii & Clarissimi, D.D. Professorum
ad hoc totius impetum D.D. Medicorum Collegii,

IN ANTIQVISSIMA, AC CELEBRATISSIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSIS
Pro conferendis huiusmodi Laureis publicè Disputationi committitur
AUCTOR & DEFENSOR,

HENRICUS NEPOMUCENSIS CRANTZ,

Belga Luxemburgus, AA. LL. & Philosophiæ Magister, &
Saluberrimæ Medicinæ pro Superiori Laureæ Candidatus.
Disputationis M. DCC. L. M. 1765



* **I**N primitiva Medicina, omne medendi fundamentum in juvantibus & nocentibus ponebat antiquitas, dein exacta descriptione morbi, hujus decursus, Remedii, hujus usus, naturæ & hujus motus, conquievit, absolutum. Quid addidimus? quid auximus? in augendo Remediorum catalogo, in concinnando horum superbo titulo, ubique Laboratum est, nihil autem factum; nam præter quædam quæ invenit ignarum vulgus ex 15000. plantarum diversis speciebus, quæ hodie inventæ sunt, quid scimus plusquam illi? nec adhuc curamus feliciter quantum tamen viginti & amplius sæculorum (quot a divino fene ad nos usque numerantur) labor, experimenta exercitatio, inventa Remediorum auctus numerus, spem facere potuissent; hæc dum mente diu volverem, dicam quid cogitarim,

In curatione Morborum tria consideranda sunt, **Morbus, Natura, Remedium**, morbus quid lædat, hujus diversum tempus, & genium, natura quomodo ferat, hujus diversæ vires & viæ, Remedium quid agat, hujus diversum auxilium, & effectus, his ex doctrinâ Hypocraticâ positis, ut demonstratis, dico ex eodem fonte.

Morbus non semper indicat ablationem sui.

Quoties non moleste sedula nimis medicina, lethale evadit auxilium, dum nulla verum est pharmacon. Itaque si quidem adfuerit morbus, non is statim tollendus est, sed videndum, quid lædat, quomodo natura ferat, quid boni quid mali alat, in epid. dixit Hypocrates *ab aliis magnis morbis liberat quartana & alio loco magis se explicans habet quartana solvit epilepsiam.* An igitur in epileptico statim suffocanda? an puero sæpius convulso incidentem quartanam mox tolles? dixit tamen aph. (α) *A quartanis correpti a convulsione non admodum corripuntur, si vero prius corripiantur & dein quartana superveniat, liberantur in epid. (β) hæmorrhoidarios neque pleuritide, neque peripneumoniâ, neque phagadenâ, neque furunculis, neque thermintis, neque leprâ, forte neque aliis corripî asserit Hypocrates,* an igitur in his morbis si adest sistenda hæmorhois? aut plane abigenda? an non potius si abest in iisdem cum iudicio sollicitanda? pleuritides peripneumonix grassentur epidemice, ut observatum lego, hæmorrhoidario fluat hæmorhois eodem tempore, an non in prophylaxin epidemici mali permittenda? Certe debes, nisi publicam sanitatem palam decoquere velis, quin ipse Hypocrates, hæmorrhoidas ex integro sanari semper damnat, licet & diurnæ & laboriosæ sint aph. (γ) habet, *diurnas hæmorrhoidas curanti nisi una servata sit, periculum ne Hydrops superveniat aut Tabes,* aut etiam aliud grave malum, ut testatur hoc casu in epid. (δ) *quum Alcippus hæmorrhoidas pateretur, curari prohibebatur, curatus, in insaniam incidit, & (ε) Eudemus larisseus in hæmorrhoidum fluxu, præpostere curatus, febre & canero mortuus,* ergo etiam evacuatio morbosa statim sistenda non est, in rei veritatem alium adhuc casum narrat. (ζ) *Abdera mulieri in pectore carcinoma obortum est & ex papillâ, subcruenta sanies fluebat, interceptâ*

vero

(α) 70. Sect. V. (β) Lib. 6. Sect. III. (γ) XII. Sect. VI. (δ) Lib. IV. Text. LI.
(ε) epid. Lib. V. (ζ) epid. V. Text. LII.

vero fluxione mortua est, empyricus igitur sit qui audito morbo præscribit Remedium, & febrem quibusdam relinquere aut alium morbum Hypocratici iudicii est & magni viri, & hanc methodum ridere, ignari & Hypocratici nominis Cecropidis,

Morbo sæpe Remedium morbus est, & siculi Remedium donec sanitas redit continuandum, ita morbus in hoc casu Remedium donec priorem vicerit relinquendus.

PRO valetudine esse dixit Hypocrates (η) distensionem nervorum febrem accedere & tremorem fieri, oris distensionem etiam alvo citâ finiri monuit Celsus, quin etiam legitur (θ) pulmonis inflammationem veati in abscessum, qui suppuret pone aures & in partibus inferioribus, & sic morbum solvi. An igitur his abigenda febris convulsionis Remedium, an sistenda alvus, an reprimenda facta ad aures vel partes inferiores metastasis, certe non, nec est curanda validis excitantibus hæmorrhagiæ superveniens λειποθύμη. Quum moneat ipse Hypocrates (ι) αἵματος φλεγων σαβίεες πλειποθύμη. Est etiam ubi pessimum Symptoma singultus & ructus bona sunt, ut Hystericis; (κ) de morbis iterum agens Hypocrates docet quomorbo medicamento apoplexia solvatur: (λ) dolor repente caputprehendit statimque vox cessat ac sui impotens est hic intra 7. dies nisi eum febrisprehendit interit. Qualis autem sit solutoria apoplexiæ febris patet ex Græco dicit enim ἢν μή πύρεπιλαεε, πύρε autem επιλαεε in epid. dum ægrotorum casus narrat sæpius habet, & pro febre magna valida, vehementi, vehementissima, ponit, patet id iterum ex alio in porreth. loco, ubi dicit de apoplexia agens ἂσπιπύρετῆναντι χειρονίως adveniente febre lenta, mortifera, febrim illam mortiferam etiam vocat βλεχρον πυρετον χλιαρον. Galenus, an igitur apoplectico febrim, πύρε ignem tolles an lentam in validam magnam non mutabis, certe quod natura

turæ non licuit id facere per auxilia Medico ad imitationem naturæ bene agentis sæpe est necesse.

Sæpe est inducendus alius morbus ut prior solvatur.

Nonne pro valetudine esse dixerat Hypocrates distensionem nervorum febrem accedere, verum si febris jam adesset, quid foret faciendum? consilium dat in coacis (μ) *convulsionem solvit febris acuta superveniens si vero prius fuit jam exacerbata & ut addunt interpretes vel sponte natura vel convenientibus medicamentis alio iterum in coacis loco (ν) convulsionem solvit febris acuta superveniens, si vero prius fuit jam exacerbata juvat quoque Urina $\nu\alpha\lambda\omega\epsilon\iota\delta\eta\varsigma$ multa effusa & fluxus alvi. Notandum autem est quod de Urinæ & Alvi profluvio non dicat $\lambda\upsilon\epsilon\iota$ sed tantum $\omega\phi\epsilon\lambda\epsilon\iota$ licet tamen plus Alvi quam Urinæ profluvio tribuat ut videtur in eisdem coacis: *repentinorum convulsionum remedium est febris & alvi fluor;**

In febribus lentis quæ sine remissione tenent & in illis in quibus neque cibo neque medicamento locus hoc unicum super voluit esse Celsus ut febrim medicus mutet & aliam inducat & sic sæpe febris per febrim curanda est, Hydropico etiam febrim inducere sic & aliquando podagrigo paralitico apoplectico & epileptico est necesse, in chlorosi gratissimis aromatibus cum cabybe datis materiem morbi coquendam voluit Galenus. Vulnerandas externas capitis partes aut etiam urendas ad sanandam epilepsiam voluit Tulpius, nonne & ira & vehemens animi affectus paralitico sæpe præsidio fuit, ut docuit Illust. L. B. Van-Sviten. (ξ) Hujus rei vestigium jam habetur apud Hypocratem, (\omicron) *in crurum impotentia diligentia adhibenda est ut excaescentia inducatur, cum caloris reparandi tum affusionis humorum concilianda gratia, latitia quoque & terror & hujusmodi pathemata.*

Alia

Alia est ejusdem morbi curatio pro diversitate stadii quod morbus decurrit.

Pleuritis inflammatoria aliter curatur quam suppurans, suppurans aliter quam suppurata & rupto abscessu empyema q. e. d.

Est etiam Tenendum morbi genium.

Est ubi, quâ methodo, currente anno ægrotos liberas, eadem ipsa anno jam vertente in eisdem morbis e medio tollas, nonne iterum fatetur alio loco noster Sydenhamus, se frustra feбри continuæ incidens coma medicamentis sollicitasse, mensis spatio a natura absque Remedio fuisse digestum & sanatum.

Consideranda est Natura in morbis considerandæ ejus vires & viæ.

Inde quæcunque est Hypocratico nomini æternitas nata videtur, in quo igitur maximo simillimus Hypocrati est Medicus, nonne in eodem, in eodem tamen est illi hodie quam maxime dissimilis, dixerat epid. 6. *Νούσων φύσις ἰετροίς*, de Medico naturæ ministro jam apud alios ubique exaratum, scriptum, clamatum, nihil autem factum, est ne tamen bene simplicius quidquam, quam obtemperare naturæ ut ei imperare discamus? deficientis vitæ vires erigere & furentis in sua damna impetus temperare? Observare quo natura vergat, quo materiem morbi in variis morbis deponat, per quas vias coctam eliminat, nonne post Hypocratem, Hypocratici viri Sydenhamus & Boerhavius de justo febrium moderamine tantum loquuntur, spectant naturam agentem, auscultant coquenti, stimulant dubiam inertem, juvant per consueta ducentem

centem coctum, adfunt labanti, concocta morbi materie vincentem naturam sed tamen a certamine fessam, calidioribus stimulasse videas, jam vinum, aromatica exhibere quæ ante propinare scelus; nec in contrarium facit qui apud Hypocratem locus habet, *quæ judicantur aut judicata sunt, non sunt movenda*, quod quidem verum est, si natura ipsa sibi satisfaciat & sufficiat & quod incæpit valide exequatur non autem si dubia anceps & quasi ab opere lassata videtur, tunc enim juvanda est, uti etiam si quodam quasi errore materiem criticam in loca minus convenientia depellit aut deponit. Quin tunc consilium dat Hypocrates his verbis: *revellenda ea sunt quæ quo non oportet repunt si autem quo convenit iis viam sternere oportet ut singula eo vergant*, quid? Quod & venam cocta morbi materie in epid. secarit.

Iterum scriptum est apud galenum ex Hypocrate morbos parvos solvi, magnos judicari, quosdam morbos per certas vias terminari constans observatio est, an igitur & morborum horum (impeditâ forte nimis naturâ aut hac etiam dubiâ & inertî & horum solutionem per consueta loca non movente,) judicatio seu solutio per eadem tentanda non est, quum tamen observemus sæpissime in morbis naturam per hanc viam materiem morbi eliminare de corpore. Lethargum gravem esse morbum dixit, Hypocrates; intra 7. dies ægrum e medio tollere enunciavit, quos si superat habet lib. 2. de morb. sanus evadit *ὕγιος γινεται*, sæpius autem dicit *ἐμπύος γινεται* ut in eodem lib. 2. de morb. & coacis, quæ igitur lethargicis ex observato Coi cura? natura viam monstravit, nec fallor, dicit enim, lib. 3. de morb. *lethargus si prehenderit huic quidem admodum exigua vitæ spes est, efficiendum tamen ut plurimum spuat & calefiat*, hoc in materiæ concoctionem illud ad coctæ educationem facit; mihi equidem varia Hypocratis loca combinanti, lethargus simul affecti aut saltem brevi afficiundi durante hoc statu, pulmonis, morbus videtur, & peripneumoniam humidam simili-

lis,

lis, licet de vomica capitis dictum Hypocratis interpretetur magnus Jacotius, *tussit enim & sopor illum tenet & cum moriturus est multum liquidum per os egerit infarcti pulmonis indicio, in porrethicis & coacis idem evidenter testatur dicens dolor pectoris firmatus cum torpore malus;*

Ab abscessu quocunque Thoracico notum est fieri empyema sed docet senex quandoque purulentâ obortâ alvo illud solvi, cur igitur cæteris paribus nullo apparente naturæ motu, per alias vias, materiem morbi eliminantis, non darentur lenia alvum laxantia? & his non sufficientibus, quum & per sputa sæpe solvatur expectorationem promoventia, quin ipse Hypocrates naturæ in morbis familiaris, dicit, (π) *empuicis cibos alvum laxantes dare oportet, & ubi principium morbi non amplius fuerit, exscreationem promoveri & tussim excitare, Coi vestigia fideliter premens Baglivius, observavit, in aere Romano, pectoris morbos per inferiores partes solvi sæpissime, hinc dicit in pectoris morbis semper ducendum est ad Urina vias & ulterius probare volens consensum harum partium dicit nonne & in pulmonis abscessu metastasin ad inferiora sperare jubet Hypocrates? & in uterî hæmorrhagiâ ad mammas magnam cucurbitulam applicandam suadet idem, hinc Hypocraticarum veritatum instructus, & naturæ in his morbis ductus, peritus, dicit de pulmonis agens quacunque die exspuendi & spirandi difficultas successerit, statim duo magna vesicatoria applicanda tibiis sunt, quia in his morbis tumores ad pedes boni, naturâ monstrante viam, & in genere superiorum partium dolores inferioribus solvuntur, ut habet in epid. (ϵ)*

In morbis capitis cur ophthalmiâ Laborantem medicamento antiphlogistico ad levem diarream non purgares? utique *omnis dejectio lippienti prodest, (σ)* cur huic & anginoso venam non secures

B

cares

(π) In lib. de locis in homine. (ϵ) Lib. 2, Sect. VI, Text. VIII. (σ) Cap. VII de judicis.

cares dixit in epid. (τ) anginam & lippitudinem V. S. solvit, cur maniacis melancholicis nephriticis, Syderatis, & quibus bonæ hæmorrhoides (υ) non excitarentur? dixit Galenus (φ) melancholiam non solum incipientem hæmorrhoids prohibuisse visa est sed etiam jam factam curasse & lienem induratum, imo & varices hos morbos curant, podagrasque & arthritides discutunt; in coacis. Quæ apoplecticis veniunt hæmorrhoides salutares enunciavit Hypocrates, an igitur hæ non sollicitandæ? si ab his suppressis delatus per metastasin sanguis in caput, apoplexiam fecerit, verum quidem est, quod *ly veniant* hic criticam evacuationem significet, tamen habet Duretus etiam illam hic intelligi, quæ artificio fit medici, ad imitationem naturæ comparato, duce iudicio, & comite experientia, quod confirmatur ex alio Hypocratis loco, in eisdem coacis, *ex hæmorrhoidæ quantumvis parum aut parumper apertâ, obortæ vertigines paraplecticum quid piam* i. e. leviozem apoplexiam *παρα* enim Græcis levius quiddam dicit, *ominatur, sanat autem vena sectio* quæ ad imitationem naturæ a medico facta, sanguini per consueta & aperta hæmorrhoidalia effluenti vicaria substituitur, nonne & tum prodesset artificialis hæmorrhoidum apertio, per frictions, suctiones, incisiones, concitata, quod evidenter patet, ex alio in coacis loco, ubi lego. *Ex hæmorrhoidibus parum stillantibus vertigines siderationes melancholicæ &c. quibus vena sectione præveniendum at & Hyrudinum applicatione* talia plura Hypocratis loca sunt, ubi artificio naturæ analogo, divinus senex id facit quod impeditæ naturæ non licet; dicit in coacis, *qui statis intervallis sanguinem fundunt*, seu per menses nares hæmorrhoidas, alvum aut alias vias, *siticulosi, siquidem non effuderint sanguinem epileptici moriuntur* hic autem non vult Hypocrates, illos semper epilepticos fieri debere, & dein mori, utique & insanos fieri dixit, ut contigit alcippo, & mutos, & aphonos, & convulsos, & alio gravi morbo obnoxios, in
coacis

coacis quum quis repente mutus fit venarum interceptione corpus laborat. Verum hic de evacuatione suppressa agit Hypocrates, aut nata inde vel alia occasione plethora, sed en dat remedium aphoriam febris expertem, Venæ sectio solvit; sic profusa narium hæmorrhagia aut alia evacuatio quæcunque suppressa adducit convulsionem, aut alia etiam mala sanat autem venæ sectio (x) & in genere, qui a repletionem morbi nascuntur, evacuatione sanescunt. (ψ) Et qui ex evacuatione gignuntur sanat repletio, (ω) sic mulieri menstruis deficientibus posita tamen plethora sanguis e naribus fluens bonus, (α) & hæc evacuatio sistenda non est quum bona sit observato Hypocratis, sed nonne, mulieri menstruis deficientibus, posita plethora venæ sectio, si evacuatio a natura instituatur nulla, bona, quia hac naturam imitata morbum solvit, ut video confirmatum (β) menstruis desinentibus sanguis redundans detrahendus ut plethora solvatur sic iterum (γ) mulieri ob eandem causam sanguinem evomenti menstruis erumpentibus solutio fit, nonne & Venæ sectione in inferioribus facta, solutio fieret, si erumpendorum menstruorum nullum medico foret indicium, ex ratione priori; muliebria autem in morbis quiddam hæmorrhagiæ simile habere, quod morbos solvat, ut hæmorrhoids, patet ex casibus quos narrat Hypocrates (δ) Hypostrati uxor ex tumore Hypochondrii diuturnam quartanam & mensium suppressionem sequente febricitavit, levata est sudore & mensium multo profluvio, (ε) morosa mulier ex melancholia multum delirans cum febre, sudore multo copioso, & tandem profusis circa crisin menstruis salva judicata fuit, nonne & Larissa virgo ægroto 12. (ζ) a plethora febre ardente detenta sexta die sanguinis per nares hæmorrhagiâ, sudore, & menstruis prodeuntibus convaleuit, & alia iterum (η) virgo a manus dextra & cruris sinistri syderatione per menstruorum fluxum liberata fuit, quod mirum non videtur quum dicat in coacis syderatis hæmorrhoides superverientes bonum, ergo &

B 2

men-

(x) Coacar. II. Cap. 13. Lib. 2. (ψ) Sect. 2. aph. 22. (ω) Eadnm Sect. (α) Sect. V. aph. 33. (β) Lib. de sterilibus. (γ) Sect. V. aph. 32. (δ) Lib. 2. epid. Sect. 3. Textu 23. (ε) Lib. 3. epid. ægroto undecimo. (ζ) Lib. IV. epid. (η) Lib. 2. epid.

menstruorum evacuationes, quum etiam solutoriae sint, ut patet ex prioribus casibus, evidentissime autem ex lib. 2. praedicta, *virorum & virginum sedum colorem solvit haemorrhoidum & menstruorum fluxus*. Patet igitur & has evacuationes magnam habere in morbis vim, non temere esse sistendas, quin cum judicio in his esse sollicitandas.

Nonne ut in dentitione infans febre aut convulsione non rapiatur diarheam excitare non adeo ineptum? quum hac presente febres & convulsiones accidant rarius, si absit saepissime. (9) De caephalalgia Biliosa & aurium dolore cum febre & delirio agens Hypocrates, (i) dicit *nisi aqua vel pus per aures, os, nares, effluxerint, non servari agrum*. Quid igitur in tali casu medelae? an ut aqua effluat, pus conficiatur, & rumpatur pure facto abscessus, & per has vias trahatur, incumbendum? & sic naturam per consueta evacuantem praevenire, adjuvare, determinare; vera dixi, *utre enim coriaceo, fomentandas has partes* vult Hypocrates, & *egros tempestive congruis*, quod notandum tractandos. Legite totum Caput 4. lib. 2. de morb. ubi affectus, a capite repleto ortos, pertractat, natura monstrante viam, dixit Celsus. *Nihil plus adversus surditatem est quam Biliosa alvus*, in hanc rem in coacis, Dureti (x) legitur. *Surditas alvum sistit, hinc ea curatur dum biliosa alvo prorumpunt, & alio iterum loco*. (lambda) *Sicut in febre surditas alvum sistit, ita surditatem natam a febre alvi profluvium & haemorrhagia exolvunt*, de judicat: Hypocrates. (mu) *Quibus in febribus aures obsurduerunt hos non soluta febre insanire est necesse, solvit autem sanguis e naribus fluens, aut biliosa, alvus effundens, aut dysenteria, aut coxendium, aut genuum dolor, succedens*. An igitur ad haec attendendum non est? Tum ut cum judicio, arte eveniant, tum ut sponte evenientia perperam non sistantur, quum illa judicatoria sint judicantia non alii morbi; & in his casibus ad imitationem naturae jam forte im-

poten-

potentis & oppressæ, de veteri more sanguinem fundere, alvum ducere, est necesse; iterum in variolis sputatio ex observato Sydenhami undecimâ die cesset, uti etiam faciei tumor, quod si manuum tumor, non suboriat, multum lethale esse, observavit idem, an igitur & hæc convenientibus ante illud tempus, & illo ipso tempore, sustinenda non est? & manuum tumor, jam 10. die spongiis vaporosis non juvandus.

In morbis primarum viarum dixit Celsus, *bono sunt lienosis tormina, ipsa febris etiam sæpe prasidio est*, in aph. (ν) Hypocrates *lienosis dysenteria succedens bonum*, an igitur lienosis, quandoque tormina inducenda non sunt? an etiam non febris, aut an hæc arte inducta vel sponte obvenientia, depellanda; tormina autem illa longa esse non vult Hypocrates in coacis, *dysenteria lienosis quidem non longa utilis, longa vero pestifera*, quomodo autem per malorum seriem ad mortem ducat & tandem pestifera evadat deducit in aph. (ξ) *qui lienosi dysenteriam corripuntur iis oborta longa dysenteria, Hydrops aut lenteria succedit, & intereunt*. Quin & Venæ sectio & alia adhuc illis remedia sunt, habetur (ο) *splenis tumores hæmorrhagiâ, abscessibus, & copiâ Urinæ solvuntur*, confirmatur id Hypocratis casibus. (π) *Salvatella in lienis oppitulatione sua sponte aperta fuit, & agrotus convaluit*: & (ε) *Pericles lienosus febre acuta cum stillicidio naris sinistra prima die, Urinâ vero crassâ albâ, & sudore, quartâ judicatus*. Sed & longo alvi profluvio correptis medelam adfert in aph. (σ) *longo alvi profluvio laboranti spontanea succedens vomitio solvit*, at in commentariis dicit Galenus, & medicum hanc imitari oportere, non autem adeo cito supprimendam adstringentibus dysenteriam vult Hypocrates, quum dicat in coacis, *dysenteria intempestive suppressa febrem & abscessum in abdomine facit*, confirmatur id observato ab Hypocrate casu, in epid. (τ) *habet Leambio in dysenteriam pharmaco*

B 3

ad-

(ν) Aph. XLVIII. Sect. VI. (ξ) Aph. XLIII. Sect. VI. (ο) epid. 2. (π) Ibidem. (ε) epid. 3. (σ) Aph. XV. Sect. VI. (τ) Lib. 4. epid.

adstringente ante tempus curato, humerus & pars sedis sinistra suppurata fuere. De lienteria habet, (v) diuturnis lientericis ructus acidus obortus, antea nequaquam factus, bonum signum, quale Damaneta contigit. Similia autem & medico tentanda insinuat, sermonem prosequens: fortasse etiam arte parere licet, & enim hujusmodi perturbationes, mutationes excitant, fortassis etiam ructus acidi lienteriam solvant?

De podagra agens in sua praxi celeberr. Boerhavius dicit, nihil autem in hoc morbo damnosius, quam impedire materiae podagricae, jam adultae nec alio modo tuto educatae, vel concoctae defluxum, ad sua loca, maxime quidem dolentia, minime autem periculosa, similia observans Magnus Duretus habet (Φ) qui circa coxas, & lumbos, & inferiores partes, oborti dolores, si ad viscera transferint, relictis coxis lethales. Ut id idem evidenter testatur Hypocratis casu, qui sic habet. Tertia die coxendicis quievit dolor, mentis autem invasit percussio, atque jaectatio, plurimum murmur, 4ta die crudelissime circa meridiem obiit, quod certe ad rectam horum morborum, medendi methodum, non exiguum facit momentum, argumento ex errore naturae vel medici desumpto, unde similes depositiones turbandae non sunt; quin, si retrocedere contingat, ad imitationem naturae, ad locum antea affectum derivationem, sollicitant Hypocratici, quum materiam prius translata, jam iterum a natura ad priora loca depulsam, aegrum omni periculo eximere observatum semper sit, ut & Hypocrates reliquit epid. (χ) ubi aegrorum casus narrat, hunc habet, alter eodem tempore vera typhomania correptus ubi ad coxendicem iterum dolor venit quievit. τύφμανια autem est ex phrenitide, ut & lethargo, mixta affectio, seu delirus lethargus, aut stupidum, lethargicum, delirium. τύφος enim stuporem significat, unde τύφωδής stupore affectus dicitur Hypocrati. (ψ) Falso autem quaedam exemplaria τύφλωδής τύφλωμανια habent. Alia
ite-

(v) Lib. 2. epid. Sect. 2, Text. XXIII. (Φ) pag. 41. coxar. (χ) Lib. 4. Textu IX.
(ψ) Lib. 4. morb. popul.

iterum significatione, τῦφωδῆς febres, apud veteres invenio, ἀπο τῆ τῦφειδαι, a fumigando, unde & has fumosas dixere, ut horum monumenta evolventi patebit.

Nonne & sic podagram, ileon, ascitem, anasarcam & infinitos alios ex Hypocrate morbos, natura monstrante viam, attenti tollere possumus? quos si medicamento aut empirico, aut studioso, obedire contingat, in Hypocrate vix non semper habes curæ rationem, naturam indicem, sic quibus justo plus ex naribus fluit sanguinis in febre die judicatorio, quid medelæ ferres ut tamen ab hæmorrhagiâ ægrum servares, servavit Meteonem Hypocrates, (ω) quod mulieri menstrua nimia profundenti auxilium, dat aph. 50. Sect. V. Hypocrates.

Considerandum quid agat Remedium hujus auxilium & effectus.

Remedium an detur infallibile, an immortale, jam non disputo, hoc volo, morbi cognitionem, inventionis applicationis remediorum maximum esse principium; & quum hoc Thesis membrum, aliis multum dilucidatum sit, plus non dicam.

Convertenda sæpe est medendi ratio ad affectus originem.

Galenus juveni deperditum trium digitorum sensum, ac motum, non manui sed septimæ colli vetebre originem, utpote applicatis medicamentis, restituit, quem alii frustra cruciarant, (α) plura adhuc axiomata addere possem, Hypocratici studii vero utilitatem, satis his probavi, & hoc catholicum, quod cum divino sene, toto hoc opere, Belga sanxi foedus, si vobis probatur, tenebo semper, renovabo quotidie, ab ejus lectione exordiar, nunquam

F I N I A M.

